



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Apotheosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A ferret. Nam cum aliquando rebus bene gestis domum rediſſerit, illumque milites Aquilam appellata
rent: *Per vos, inquit, Aquila sum, qui vestris armis veluti penis sublevor.* Vidimus ejus numum, in quo
Aquila cum fulmine sub pedibus jacentem, & ramis duobus quernis in coronā flexis, cum inscriptio
ne Dorica, ΑΓΡΙΠΩΤΑΝ: ab altera parte caput est, quod alii Jovis, alii Pyrrhi ipsius esse dicuntur:
nam inscriptio Epirotarum videtur ad Regem spectare. Quem vero corona, quae apud Romanos
hieroglyphicum ejus est cui civem servarit, in hoc numo glandes Chaonias, & oracula Jovis Dodo-
nei significare potest. Apud Pindarum legas Aquilam ita volucrum reginam ab Iove declaratam,
veluti Delphinum pīcīum, utriusq; perniciitate genus omne suum exuperante. Hinc idem ait, Aqui-
lam in sceptro Jovis pīcīi solitam. Neque vero mirum, Pindarum ubiq; honoris tantum Aquilæ
tribuisse, cum Aquilæ apud Thebanos non aliter inter numina colerentur, quam Cynocephali, Cro-
codili, & alia quædam bruta apud Aegyptios in cultu fuere, & ut sumus passim totis his Commenta-
tūs ostensuri, pro Diis habita.

APOTHEOSIS. CAP. IV.

B Cum igitur Imperatorem atq; Regem Aquila describeret,
C eorum etiam justis dedicabatur, qui filii superstitibus
decedebant: eos enim inter divos referre mos erat: cujus-
modi morem Herodianus in Severianis justis latissime pro-
sequitur, ex quibus Aquila, simulac ignis pyre subiecta eslet,
ex intimo suggestus tabernaculo emittebatur, qua Principis
animam in cœlum referre videretur, eamq; in numismatis
videre est, nonnumquam cum spoliis, nonnumquam cum fa-
stigio: sic enim suggestum illum, in quo cadavera Principum
cremabantur, Cicero videtur appellasse, cuius for-
matum apud Herodianum legimus, & in plerisq; numis con-
spicimus. Usque adeo vero sunt Imperatoribus Aquile de-
dicatae, ut ne in extremo quidem vita eos deseruerint, deq;
cœlo, quibuscumq; modis possent signa dederint, si qua pos-
set ad salutem via præmuniri. Nam eidem Imperatori Seve-
ro signa mortis attulerunt Aquilæ quatuor, quibus fibi visus
est per nocturnam imaginem in cœlum rapi. Et Octavianum Augustum, cum lustrum in campo
Martio magna populi frequenter conderet, Aquila saepius circumvolavit, transgressaque in vicinam
ædem, super nomen Agrippæ ad primam literam sedet, unde aruspices interpretati sunt, eum paulo
post moritum, quod haud ita multo post eventus comprobavit. Videre autem est in numo, cuius
inscriptio est *Divi AUGUSTI PATRIS*, Aquilam igni subiectam, quod ego ad iusta ejus retulerim:
quamvis nonnulli sacram esse putant, propterea quod Imperatoria, quæ Graci Hecatomben appelle-
rant, ex centum Leonibus & centum Aquilis celebrata fuerint ab aliquot Imperatoribus, & à Græ-
cis etiam, quod tradit Julius Capitolinus in vita Maximi & Balbini. Sed nihil hoc ad Augustum, de-
quo nihil tale memorie proditum. In numo, cuius inscriptio est, *Divus PERT. PIUS PATER*, Aquila
est pilæ infidens, quasi eum supra cœli convexa sublatum esse velit innuere: nam altera inscriptio
D est *CONSECRATIO*. Atq; hæc in divi M. Antonini Piñi numis multipliciter habetur, nonnumquam cum
fulmine, nonnumquam etiam Antoninum ipsum inter alas gestans: nonnumquam vero cubicularem
lectulum in cœlum tollens, cum inscriptione, *CONSECRATIO*. Qui Bellunensi in agro reperiuntur ar-
gentei, ex uno latere pulcherrimum ipsius Antonini caput habent cum inscriptione *Divus ANTO-*
NINUS, ex altero Aquilam aræ rotundi ambitus insidentem, inscriptio, *CONSECRATIO*. Verum etiam
in Vespasiani numi Aquila est quæ pilam gestat, atque ejusdem alis tabernaculum corymbis & ser-
tis redimitum. In Hadriani numis aliquot, Imperator ipse sceptrum ab Aquila recipere videtur, quasi
illi ab Iove delatum esset Imperium, quod & inscriptio declarat, *PROVIDENTIA DEORUM*. In numo
divæ Sabinæ Augustæ Aquila est cum fulmine, & inscriptione, *CONSECRATIO*, quamvis in semina-
rum iusta Payo, non Aquila, est adhiberi solita: de quo in Pavonis commentario.

Ff 3

REX



Propter per-
picacitatem,
utinam non
propter ra-
pacitatem.
Suetonius
in Augusto.
Octavianus
Augusti nu-
mus.

Pertinacio
numus.
Antonii Pi
numus.
Adriani
numus.
Sabina An-
gusta nu-
mus.